



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Fallitur Baronius, cùm existimat vocem Investituræ nondum fuisse
reperitam ævo Caroli magni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

drianus dat in mandatis duobus Episcopis ut discutiunt Lulli Moguntini, quæ facta jam fuerat de consensu Pippini Regis, ordinationem, *adjunctis sibi Missis gloriosi ac spiritalis filij nostri Caroli Francorum Regis.*

II. Neque verò Carolus illi potestati renuntiavit, quandiu superstes fuit, liberam electionem Clericis & civibus relinquendo juxta canones hac de re editos; quorum nullam facit mentionem in solenni illo Capitulari Aquisgranensi, quod conditum fuit anno septingentesimo octuagesimo nono, & relatam est postea in librum primum Capitularium. Illa quidem constitutione renovat omnes canones qui disciplinam episcopalis status respiciunt, adductis canonum verbis Nicæni, Antiocheni, Sardicenis, & Chalcedonensis Conciliorum. Sed canones qui de ordinationibus Episcoporum decernunt omnino omittit. In Conciliis autem quæ per Gallias ad restitutam disciplinam acta sunt anno DCCCXIII. ex ejus admonitione, ne vestigium quidem ullum extat querelæ pro restituendis aut conservandis electionibus. quod tamen negotium in singulis ferè anterioribus synodis summa cura discutiebatur.

III. Suspiciari poterit aliquis Carolum auctoritate synodi Romanæ, cujus meminit Gratianus, fultum, electionum jura neglexisse. Sed cum synodi illius veritas ab illustrissimo Cardinale Baronio vocetur in dubium, necesse est ut nostram hac de re sententiam proferamus. Certum quidem est primum qui ejusce synodi meminerit fuisse Sigebertum Gemblacensem in Chronico ad annum DCCCLXIII. ex quo transcripsit Gratianus dist. LXIII. Docet itaque auctor ille Carolum ex obsidione Papiæ Romam contendisse, & Paschæ festo ibidem peracto, rediisse in castra, Papiamque cepisse, statim verò secundum iter Romam instituisse; ubi Hadrianus primus Papa cum synodo universali CLIII. Episcoporum & Abbatum Carolo *dedit jus eligendi Pontificem & ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoque Patriciatum. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit. Et ut nisi à Rege laudetur & investiat Episcopus, à nemine consecratur. Omnesque huic decreto rebelles anathematizavit; & nisi resipiscerent, bona eorum publicari.* In Chronico Sigeberti legitur *principatus*, nullo sensu. Sed in variis MSS. & apud Gratianum è Sigeberto legitur, *Patriciatum.*

IV. Commentitium istud Concilium à Sigeberto confictum ut Henrici Imperatoris partes, cui favebat, hac auctoritate munit adversus Paschalem secundum, con-

Tom. II.

queritur atrocibus verbis Baronius. Imposituram autem ex eo probat, quòd hujus synodicalium silentium sit apud Eginhardum & ceteros coævos annalium scriptores. Deinde quòd secundum istud post Papiam captam institutum à Carolo iter confinxerit Sigebertus contra apertum testimonium Eginhardi, qui quater tantum Romam advenisse Carolum testatur. Primus ejus adventus fuit hoc anno septingentesimo septuagesimo quarto, secundus anno septingentesimo octuagesimo, tertius anno septingentesimo octuagesimo sexto, quartus anno octingentesimo. Concidit ergo quintus ille excogitatus à Sigeberto. Duo isthæc argumenta vim non exiguam habent, quæ planè carent tertium & quartum.

V. Tertiò contendit impossibile fuisse ut Concilium celebraretur, ob temporis angustias quæ intercedebant inter deditio- nem Ticini & properatum reditum in Gallias ad reprimendos Saxones; intra quod intervallum non poterant evocari Romam CLIII. Episcopi è locis longè distitis. Sed responderi potest numerum illum conflatum fuisse ex Episcopis & Abbatibus qui frequentes fuerunt Romæ unà cum Carolo è Gallia & Italia; à quibus subscripta fuit donatio luculenta provinciarum quam Romana Ecclesiæ contulit Carolus, teste Anastasio in vita Hadriani. Si vera esset investiturarum concessio, tunc fieri potuisset ad rependum ingens illud à Carolo collatum sedi apostolicæ beneficium. Si novam synodum ponamus cum Sigeberto, poterant facilè convenire iidem illi Episcopi qui primum adventum Caroli honestaverant. Nec enim statim ab urbe capta Italiam deseruit Carolus; qui novum regnum legibus & præsiidiis firmavit, missis interea copiis adversus Saxones.

VI. Quartum argumentum ceteris præstare videtur, scilicet confirmatum fuisse jus electionum à Carolo, nec meminisse ulius privilegij ab Hadriano in contrarium indulti cui derogaretur. Sed corrui omnino. Etenim electionum episcopaliū libertas, quæ constituitur libro primo Capitularium, quæ citat, non pertinet ad Carolum, sed ad Ludovicum ejus filium, qui constitutionis est auctor, ut postea ostendemus.

VII. Addit quintum argumentum, petitum à nomine *Investiture*. quam vocem illa tempestate contendit fuisse incognitam. Attamen, ut notat Lindenbrochius in Glosario ad leges antiquas, *vox illa etiam temporibus Caroli magni usitata erat. Vt mirum sit, inquit, virum multæ & variæ lectionis id negare ausum.* Loquitur de Baronio. Sed ad episco-

Vide Notas Baluzij ad Concilia Galliarum Narbon. pag. 11.

E e e ij

patuum concessionem significandam nondum erat instituta, ut suo loco dicitur.

VIII. Sextum argumentum robustum est: quod petitur ex Romani Pontificis electione, quæ Caroli ætate & in exordio principatus Ludovici Pij libera fuit ab interventu Principis. Non moror edictum Ludovici Pij, quod adducit, quoniam illo non excluditur necessitas consensus regij post electionem. Solo testimonio Flori Magistri nitor, cujus verba describit ad annum DCCCXIII. *In Romana Ecclesia, inquit, usque in presentem diem cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis (adde divinæ) judicio, & fidelium suffragio, legitime Pontifices consecrari. [Vide Baluzij Notas ad hunc locum Flori, post Notas ad Agobardum pag. 152.]*

IX. Nos verò hujus synodi falsitatem ostendi posse putamus tribus aliis argumentis. Primum est, quòd isto decreto tribuatur Carolo patriciatus dignitas, quam tamen jure hereditario possidebat ex pactis initis inter Pippinum Regem & Stephanum Papam. Quare à Stephano quarto, & antea à Paulo primo Hadriani decessoribus, in literis ad eum datis dicitur Patricius Romanorum. Vnde Romam accedens isto anno DCCCLXXIV. fuit susceptus ab Hadriano cum venerandis crucibus & signis, sicut mos est Exarchorum aut Patriciorum Romanorum; ut observavit Anastasius. Secundum petitur ex testimonio Flori Magistri in tractatu de electione Episcoporum, quem scripsit circa annum octingentesimum vigesimum, ubi consensum Regis consuetudine inductum docet. Incognita ergo fuit illi erudito viro hæc constitutio Hadriani & universalis synodi. Adde Lupi Ferrariensis epistolam: qui de jure Regum in electionibus stabiliendo tractans, omne robur trahit à concessione Zachariæ; ut ostensum fuit superius. Recentior erat & firmior auctoritas Hadriani & synodi universalis: quam, si extitisset unquam, Lupus non omisisset. Tertium argumentum suppeditant duæ Hadriani epistolæ datæ ad Carolum; ex quarum altera anno DCCCLXXXIV. scripta docemur Episcoporum in regno Longobardico constitutorum ordinationes ab Hadriano factas post cleri & plebis decretum ad se missum. Ex altera anni DCCCLXXXVII. ad discimus Caroli desiderium ut Episcopi Ravennatis electio non fieret absque Missorum suorum interventu. Cui respondet Hadrianus, id nunquam factum; sed morem istum observatum etiam temporibus Pippini Regis, ut decreto cleri atque plebis ad sedem apostolicam perlato, proprium antistitem sibi consecrandum Ravennates peterent.

X. Attamen licet de vitio seu potius falsitate hujus synodi constet, nolim Sigebertum imposturæ reum facere. Etenim ille habet auctorem, quem laudet, Leonem octavum sedis apostolicæ invasorem. Ejus constitutio, in Romana synodo edita in gratiam Ottonis primi, extat apud Gratianum & apud Theodoricum Nihemum: quam falsi quoque arguere nititur vir summus, sed nullo argumento. Quin potius vix de illius veritate dubitare licet, si rei tunc gestæ ordo consideretur. Otto Imperator Romanus accessit anno nongentesimo sexagesimo tertio: cujus adventu territus Ioannes XII. Papa, clam ex urbe discessit. Quid post hæc gestum fuerit narratur apud Luitprandum lib. v. cap. v. i. *Cives verò, inquit, sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt, hæc addentes & firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Caesaris Augusti filiique ipsius Regis Ottonis.* Coacta dein synodo, Ioannes evocatus cum conventui sistere se nolisset, depositus est per summam audaciam, & Leo octavus ejus loco substitutus. Cum autem Otto se recepisset Spoletum, Ioannes in urbem rediit, Leone fuga sibi consulente, quem deposuit Ioannes; & ipse paulò post infeliciter periit. Ejus loco Romani elegerunt Benedictum quintum. Sed Imperator comparato exercitu Romam repetiit. Statimque collecta synodo, Benedictus damnatur, perjurij crimine inter cetera illi exprobrato, ut testis est idem continuator Luitprandi. *Numquid inficiari potes, aiebat Leo Papa, presentis Domino Imperatori juramento promississe nunquam te cum ceteris Romanis Papam electuram aut ordinatorem absque illius filiique sui Ottonis Regis consensu? Quid aliud expectandum erat post ista quàm ut Romanorum promissio, pœna Benedicti jam sancita, ipsius quoque Leonis pontificatum gerentis auctoritate in synodo confirmaretur; ut factum docent constitutionis tunc editæ verba concepta apud Gratianum. Ceterùm Leo dignitati suæ consulere volens, ostendit nihil novum à se in Ecclesiam inferri, sed sequi se Hadriani exemplum, qui similem prærogativam Carolo contulit. Ad exemplum, inquit, beati Hadriani apostolicæ sedis antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum patriciatus dignitatem & ordinationem apostolicæ sedis & investituram Episcoporum concessit.*

XI. Post Leonis octavi testimonium Sigebertus non poterat dubitare de facti veritate. Epocham sive temporis consignatio-